

# **Landesbibliothek Oldenburg**

## **Digitalisierung von Drucken**

**Samuelis De Cocceji, Henr. Fil. Sacræ Regiae Majestatis  
Borussicæ Magni Cancellarii, A Consiliis Sanctioribus  
Status Et Rei Bellicæ, Ordinis Nigræ Aquilæ Equitis Etc.  
Jus Civile Controversum Ubi ...**

Opus Ad Illustrationem Compendii Lauterbachiani ...

**Cocceji, Samuel von**

**Lipsiae, 1766**

LIB. XLIX. TIT. XV. De Captivis Et Postliminio, Et Redemptis Ab Hostibvs.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-9050**

Qv. V. *An possessor rei domanialis etiam fructus perceptos restituere teneatur?*

**D**ixi in præcedenti quæstione, successores rem domanialem ab antecessore alienatam vindicare posse a quocunque possesso: At talia quæstio est, an possessor quoque fructus perceptos restituere teneatur? quod videtur negandum, quia bona fidei possessor est, qui jure Civili lucratur fructus, L. 48. pr. de A. R. D. At ego contrarium verius puto, si possessor, in quo alienatio facta est, sciverit (si enim nesciverit, justus erit titulus, indeque omnes acquirit fructus d. l. 48. pr.) qualitatem domanialem. Nam licet sit in bona fide, tamen titulus est ipso jure nullus, quo casu nec bona fidei possessor lucratur fructus. *Vid. supr. tit. de Rei vindic. q.8.* Atque hinc etiam ad fructuum restitutionem possessor condemnatus fuit in causa fisci c. Hoym in punto Ermisleben.

Ubi tamen bene notandum, vindicantem non nisi ex eo tempore, quo ipse vel ejus antecessores, quorum haeres est, jus agendi habuere, fructus rei domanialis repetere posse: Cum enim hi fructus unicuique Principi jure dominii acquirantur; indeque ad allodium pertineant, successor Imperii eos repetere nequit, nisi & haeres sit. Atque hinc familia de Hoym, et si jam an. 1628. condemnata fuerit ad restituendum Episcopis terram Ermisleben, tamen Serenissimo, longe post executionem rerum judicatarum postulanti, fructus non nisi ab Anno 1648. adjudicati fuere, quia ex eo demum tempore Episcopatus cessit, præteriti autem temporis fructus quæsiti fuere Episcopis.

LIB. XLIX. TIT. XV.

## DE CAPTIVIS ET POSTLIMINIO, ET REDEMPTIS AB HOSTIBVS.

Qv. I. *An, occupato chirographo, ipsum debitum videatur occupatum?*

**R**ESP. Distinguendum est, an debitum publicum sit, an privatum: *Laut. pag. Illo casu viator uti omnia jura publica Imperii, ita & debita publica, quæ pars terrariorum sunt, acquirit, Aiber. Gent. L. 3. c. 5.* Atque hinc valida erat dispositio Alexandri Magni, qui Thebarum chirographum Thessaliam donavit, nec Thebani, postea a Cassandro restituti,

Zzzz 3

stituti,

stituti, potuere repetere chirographum jure postliminii, *Quintil. Inst. orat. L. 5. c. 10. Aërod. Rer. jud. L. 2. t. 3. c. 2. Et 3. Grot. L. 3. c. 9. §. 9. n. 1.* Hoc casu victor non acquirit jura privata, sed hæc post victoriæ integræ manent civibus, *Dn. Par. Disp. de Jur. vid. §. 32.* Unde male Cæsar Flavii nomen Dytrachinis donavit, *Quint. d. l. Aërod. d. l. Euala L. 1. c. 5. in fin. Hottom. Illustr. qu. 5.* hoc enim debitum Flavio privato debebatur, quod jus privatum erat, indeque sub jure victoria non continebatur: uti hæc latius explicantur a *Dn. Par. vid. d. Disp. §. 33.*

**Obj.** Quod incorporalia capi non possint.

**RESP.** Immo per victoriæ omnia jura acquiruntur, *d. Disp. §. 33.*

**Obj.** Quod vi ablatum sit debitum.

**RESP.** Sed vi justa, scil. bello.

**Obj.** Quod Cassander jure postliminii Thebanos restituerit.

**RESP.** Post victoriæ cessat postliminium, omnisque controversie, quia omne jus in victorem transit. Hic ergo victor de jure suo disponere potest, & jus semel Thesalæ quæsumum erat, quod eis auferri postea facto Cassandri non potuit.

**Obj.** Quod debitum hoc omnibus civibus Thebanis debitum fuerit; omnes autem non fuere in potestate Alexandri.

**RESP.** Immo nulli Thebanorum debiūm fuit, sed civitati, hæc erat in potestate Alexandri.

Alia, quæ objiciuntur apud *Quintil. d. l.* vix merentur allegari, *Vid. Disp. d. l.*

Qv. III. *Quo sensu jus postliminij in pace obtineat?*

**R**ESP. Premittendum est, pace simpliciter facta, non contineri transactionem de damnis ac injuriis, pendente bello factis: nam pax saltem est transactio de bellis causis; aliud autem sunt injuriae, ac damna, quæ bello fiunt, aliud bellum causæ. *Vid. late Disp. Dn. Par. de Amnestia, Sect. 1. §. 8. Et S. 2. §. 28.*

Unde si res vel personæ, durante bello, ab hoste captæ, intra fines nostros, pace inita revertantur, pristinis dominis pristinoque juri restituuntur, quia ex nostra parte afferitur, injuria eas esse ablatas, quod iudicium intra fines nostros, ubi tunc res, vel personæ sunt, valet: quæ est ratio *Juris Romani in L. 19. pr. ff. de Capt. Et postl. Dn. Par. d. Sect. 2. §. 1.* Neque alter habet, de quo queratur; quia de damnis & injuriis transactum non est, nec in pace aliquid de ius dictum, *d. Sect. 2. §. 28.* (Idem si res, vel personæ, ad socios

socios & amicos, quin ad illos, qui in bello mediis sunt, redeant, d.  
S. 2. §. 2. & seq. illorum enim judicio injuria ablatæ sunt, horum  
judicio uterque agit.)

Idque diserte ita traditur in L. 5. §. 2. de Capt. & postlim. etiam in pa-  
ce, quod ex nostro ad aliam Gentem pervenit, ejus fieri, & civem nostrum,  
ab iis captum, servum fieri, & vice versa: eoque postliminium utrinque es-  
se & c. atque ex Alio Gallo id probat Grot. L. 3. c. 9. §. 3. & §. 18. Adeo-  
que hoc ius ex vero Gentium jure, non ex Seculi illius barbara confue-  
tudine, libertateque prædandi, uti Grot. d. 1. putat, originem trahit.

**Exc.** Si Amnestia clausula sit adjecta, diff. Disp. Sept. 4. 5. & 6. quæ  
est eorum, quæ durante discordia hostiliter ultro citroque facta sunt,  
publice sancta oblivio, d. Disp. S. 4. §. 2. tunc enim etiam de inju-  
riis transactum est. Atque hoc in terminis ita traditur in d. L. 5. §. 2.  
ibi: eoque postliminium ibi esse, nisi hospitium vel amicitia contracta sit.  
Atque hinc non

**Obst.** L. 7. in pr. de Capt. & postl. ubi negatur, cum liberis  
& foederatis postliminium esse.

**Resp.** Loquitur de foedere, quo amicitiae pactio comprehensa  
fuit, quod ex §. seq. apparer, d. Disp. S. 2. §. 31. S. 5. p. 5. seq.

## LIB. L. TIT. I.

## AD MUNICIPALEM, ET DE INCOLIS.

**Qu.** *An incolæ cogantur ad munera publica?*

**A**EFIRMATUR: quia omnes, qui in territorio commorantur, *Laut. pag.*  
operis & opibus rempublicam defendere tenentur; idque ita *verb.*  
traditur in L. 29. h.

**Obj.** L. 3. C. de Incol. ubi commorantes in aliquo territorio,  
velut incolæ, ad munera subeunda non adstringuntur.

**Resp.** (1) Sensus est, quod advenæ, qui in territorio civitatis  
degunt, non adstringantur, velut adstringuntur incolæ.

**Resp.** (2) Loquitur de incolis, qui in territorio, i. e. agro ci-  
vitatis, commorantur; hi enim immunes sunt a muneribus, per L.  
30. ff. Ad Mun. junct. L. 239. §. 2. de V. S.

LIB.

22